DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES COX,

ANGLUS,

Societatis Regiae Phyſicae Edinenſis Socius Honorarius.

In hominum genere nulla melior eſt natura, quam eorum, qui ſe natos ad homines juvandos, tutandos, conſervandos arbitrantur.

Dr BURTON, De Aëris Uſu.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

Viro admodum reverendo

THOMÆ BLACKLOCK, D. D.

Amica luce carenti,

De

Cujus eruditione,

Quoniam ſibi dimidium haud notum;

Cujus virtutibus,

Quoniam Johnſonianum poſtularent ingenium;

Cujus beneficiis

Se erga ſuoſque,

Quoniam verba deſunt idonea;

Nil poteſt dicere:

GEORGIO SANDEMAN, M. D.

Londini

Medicinam feliciter facienti,

Propter

Beneficium:

DOMINO JACOBO DAVIDSON,

Ejuſdem urbis,

Viro

Quo plus noto, eo plus amato;

Ob

Summam vitae integritatem

Atque

Plurima amicitiae

Indicia:

HENRICO CLINE,

ARMIGERO,

Londini,

Sancti Thomae Noſocomii

Chirurgo,

Rerumque Anatomicarum Profeſſori

Peritiſſimo;

Qui

Studio omnium ejus diſcipulorum

Meritiſſimo fruitur;

Ob

Beneficium:

DOMINO HENRICO TROTT,

Chirurgo,

Apud Taunton,

Somerſetenſi in comitatu,

Perito;

Propter plurima,

Ab ipſo

Ejuſque parentibus,

In ſe collata,

Beneficia;

[illegible] Diſſertationem

Sacram eſſe

Voluit

JOANNES COX.

Mr. Bancroft,

from his friend and

well wisher

John Fox.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ICTERO.

Flavedo cutis et oculorum; faeces albidae; urina obſcure rubra, immiſſa colore luteo tingens.

CULLEN, G. 91.

ICTERUS, qui faciem florentiſſimae aetatis pulcherrimam pallore fere lethali nonnunquam foedat, ſaepeque ſpeciem mortis nunquam non tetram tetriorem reddit, omni regioni commune videtur malum; neque ullus homo, utcunque aetate, vitae conſuetudine, corporis conſtitutione, ab aliis diverſus,

jactare poteſt, ſe nunquam eſſe amaritudinem ejus guſtaturum, ejuſve impetui ſuccubiturum. Hoc igitur de morbo, quoniam obedire legibus hujuſce Academiae me oportet, quibus honorum in Medicina cupidi de re medica aliquid ſcribere jubemur, breviſſime diſceptare ſtatui.

HISTORIA.

Hujuſce morbi indicium maxime conſpicuum eſt flavedo, quae in tunica oculorum albuginea, unguibus, totaque corporis ſuperficie, ſe praebens, tincturam ſuam ſenſim profundiorem reddit, et, morbo diu perſtante, ſeſe in fibras oſſium duriſſimorum intimas inſinuat.

Hoc phaenomenon haud raro praecedunt dolor in jecinoris regione, oppreſſionis circa praecordia ſenſus, languor, et totius corporis laſſitudo. Sanguinis plerumque velocitas admodum retardatur, aliquando tamen levis horror vel dolor ſeverus micatione arteriarum febrili comitatur. Cutis interdum aret et prurit; et nares ſubinde caloris mordacis ſenſu afficiuntur.

Saliva

Saliva autem, colore bilioso tincta, omnibus fere in os receptis nonnunquam amaritudinem largitur. Excitantur saepe nausea et vomitus; cibi appetitus deficit; vis ventriculi digestiva minuitur, et cibus in eum receptus thoracis oppressionem auget, cardiamque interdum dolore afficit excruciante.

Urina luteo colore corpora alba ei immissa tingit, ponitque sedimentum, quod colorem ex rubro flavoque mistum praebet. Alvus aliquando, sed minime constanter, adstricta est; et faeces albidae, tenacitatisque insolitae, foetorem notae naturae vix ullum edunt. An vero *objecta* oculos Ictero laborantium specie flavedinis decipiant, adhuc dubius haereo.

Quae nunc enumeravi symptomata, per decursum Icteri occurrentia, praecipua videntur. Sed interdum, quando medicamentorum viribus pertinaciter resistit causa morbi remota, flavedo sensim in nigritiem subviridem abit; et aeger miserrimus, qui ex pulvinaris mollitie nullam plane adipiscitur quietem, ut statum jucundiorem acquirat, omni spe salutis remota, sese mortis amplexibus vix invitum tradit.

DIAGNOSIS.

Flavedo ab injuria topica exoriens, et inde ſeſe late diffundens, qualis ab animalium venenatorum morſu accidit, quippe quae in errorem vix poſſit ducere, mentionem in hac Diſſertatione vix ſibi vindicat.

Neque porro de febre flava Indiae Occidentalis, quae cauſam, quod ad colorem, eandem cum Ictero agnoſcit, opus eſt dicere.

Sola igitur, et vix illa quidem, notam diſcriminationis meret chloroſis, quae flavedine aliquando attaminat puellas, ad punctum temporis quo menſes fluere incipiunt, forſitanque matronas, quo omnino ceſſant. Sed tinctura ejus quam Icteri ejuſdem durationis minus eſt colorata; et oculi flavedinem, niſi tota corporis ſuperficies evidenter prius ſit foedata, vix unquam praebent. Neque, praeter ſymptomata modo memorata, ulla alia, ſi debilitatem excipias, chloroſi et morbo de quo nunc tractamus, communia videntur.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Notatu haud indignum mihi videtur, quod a quibuſdam medicis afferitur, ſedentarios nempe laborioſis, melancholicos hilaribus, foeminas maribus, Ictero eſſe obnoxiores. Neque tamen ullus, ab ipſa vitae origine, per ſtamina corporis, praedispoſitionem ad Icterum accipere videtur.

Cauſae Icteri remotae ſunt, vel quae ſecretionem bilis nimiam inducunt; vel quae ei viam in duodenum recuſant.

Inter primi generis cauſas ſunt, ſecundum nonnullos, omnia emetica violentiora, et cathartica draſtica, et omne quod abdominis contenta vehementius exagitat. Illa, juſto majorem ſanguinis quantitatem ad viſcera abdominalia determinando, et ductus biliferos emulgendo, ſecretionem bilis praeter naturam augere putantur.

Cauſae alterius generis praecipuae ſunt affectiones ductuum ſpaſmodicae; jecinoris partiumque vicinarum morbi, et concretiones.

Sunt

Sunt qui asserant, ductus biliferos spasmis nunquam affici, propterea quod illi neque fibras musculares oculo anatomici exhibent, neque vim contractilem, stimulo admoto, manifestant.

Alii, sententiam suam rite, me judice, ab analogia deducentes, spasmi opinioni favent. Nam, quum vasa majora fibris motricibus in universum gaudeant; quumque de earum praesentia in vasculis plurimis, exempli gratia seminalibus, dubitari vix queat; nulla videtur ratio cur ductus biliferi iis omnino carerent. Immo fructus optimi, quos varia medicamenta ex opio conflata, in paroxysmis Icteri severioribus iterum iterumque produxerunt, spasmi notionem extra omnem dubitationis aleam posuisse videntur.

Nemo tamen unquam dubitavit, quin tumores jecinoris ipsius, pancreatis, et glandularum mesentericarum caeterarumque partium ductibus biliferis proximarum, hos possunt, eos scilicet premendo, facile reddere impervios. Quo pacto forsan et uterus gravidus et faeces induratae, saepe causae Icteri brevioris remotae fuerunt.

Anatomici

Anatomici nos docent, ductus ipsos per morbum praegressum adeo crassos redditos fuisse, vel etiam offi similes, ut interdum ne vestigium quidem canalis, per quem particula bilis minutissima transeat, possit inveniri.

Sed forsan hic morbus ortum a concretionibus bilis ipsius saepissime ducit. Hujusmodi concretiones, quamvis magnitudine formaque admodum inter se diversae, tamen, quod ad earum structuram internam pertinet, aliquo modo sunt similes.

Calculo enim biliario diviso, plerumque nucleus, ex materia subfusca constitutus, sese in centro videndum praebet. Hunc radiata circumdat crystallizatio, quam iterum incrustatio subnigra, tanquam involucrum, amplectitur. Constat nullam terram in ejus compositionem intrare; tota enim inflammabilis videtur. Materia sebacea spermati ceti, quod ad tenacitatem, similis, hujus massae biliariae esse descriptio haud valde inaccurata dicitur. Sed causa, cui attribui hic processus praeternaturalis debeat, adhuc umbris latet densissimis.

Tales bilis concretiones in vesica fellea diu manent, nulla molestia inducta, ne dicam morbo. Hae vero, corpore quomodocunque agitato, in ductum cysticum obtrusae, lateribus

ductus

ductus hepatici ab earum preſſura coarctatis, viam bili in duodenum facile negare poſſunt; vel ſi, quod in hac regione ſaepiſſime accidit, in ductu communi impingantur, ſimilis obſtructio in hoc ductu ſequetur. Quo facto, bilis aliam viam ſibi quaeret; de qua ſtatim.

CAUSA PROXIMA.

Si unquam ſecretio bilis nimia ſit cauſa Icteri remota, abſorptio lactealis pro proxima certiſſime erit exiſtimanda.

Secretione bilis nimis copioſa exiſtente, ſuccove pancreatico deficiente, quantitas purae bilis aliquando in ſtomachum aſcendit. De hac re, experientia olim amara mihi talia dedit teſtimonia, qualia Cullen accuratiſſimo favent dubitanti, an unquam, in noſtris ſaltem regionibus, Icterus hoc modo inducatur. Ipſe admodum puer vim bilis haud parvam ſaepe evomui, nec tamen unquam Ictero laboravi. Nihilo ſecius febris flava Indiae Occidentalis, flavuſque infantum recens natorum color, niſi forſan hic melius attribuatur meconio, oſtendere videntur, Icterum profluere ex hoc fonte poſſe.

Ductu

Ductu communi impervio reddito, quomodo bilis in sanguinem iterum deducatur, utrum regurgitatione, an secretione impedita, an absorptione lymphatica disputatum est.

De regurgitatione.—Creditum est a nonnullis, poros biliarios valvulis carere, injectionesque per ductum communem in vascula jecinoris sanguifera libere transire; et iterum vesicam biliariam esse vi contractili praeditam; unde sequetur, bilem prope pororum orificia stagnantem, quotiescunque vesica fellea in contractionem cieatur, dum ipsa et ductus hepaticus bile rigeant, non posse non regurgitare. Quantulacunque enim fuerit haec contractio, coget tamen, pro vi sua, poros bile se liberare; quia cuncta fluida summa cum difficultate impelluntur, uti spatium moli suae minus adaptatum occupent; et, si quando porta detur, qua possint irrumpere, minime modo tam indigno se tractare patiuntur.

De secretione impedita.——Quibusdam aliis, vias esse apertas per ductum communem in jecur etiam credentibus, videntur pori biliarii suis fungi muneribus eodem modo fere ac vasa lactealia: Sicut chylus a vasculis, quae alimentarias in vias hiant; sic bilis, illis judicibus, a vasculis in vias sanguiferas hiantibus, absorbetur. Illis enim videtur, vascula,

per quae injectiones libere tranſeant, hunc ipſum ob liberum permeatum, poteſtate mutandi indolem fluidorum per ea tranſeuntium, carere debere. Bilis igitur, ſecundum illos, modo ſequente formatur.

Sanguis per jecur fluens ex abdominis viſceribus derivatur. Conceſſum eſt, lienis ſanguinem colorem, forſanque indolem, ſibi peculiarem habere; atque ſanguinem inteſtinorum venoſum ſecum aliquid oleoſi portare. Hi in portae vena inter ſe miſcentur, et ſimul jecur intrant. Dum liquor, ex utroque ſanguine conflatus, per vaſa minutiſſima ſegniter movetur, particulae quaedam attractionem mutuam habentes, et in contactum venientes, revera chemice junguntur, bilemque formant; quae vaſcula, muci inſtar, oblinens, a poris abſorbetur. Quando igitur evenit, ut pori biliarii contenta ſua ad inteſtina tranſmittere nequeant, bilis in venas intrudatur, et via cavae per totum vitae oceanum miſceatur neceſſe eſt.

Huic theoriae modo memoratae objicitur, poros, ſi res adeo ſe haberet, ſanguinem in canalem alimentarium portare poſſe; et aliquam partem bilis vix non ſemper debere cum ſanguine miſceri, ſicque Icterum perpetuum inducere.

Quibus

Quibus respondetur, quod sanguis, qui in quibusdam morbis una cum faecibus ejicitur, fluere ab hoc fonte videatur; quodque ratio cur Icterus non semper inducatur, in hoc constat, bilem colore destitui, donec sanguinis massam prorsus reliquerit.

Huic tamen theoriae, una cum antea memorata, regurgitationis nimirum, objicitur ab anatomico egregio, qui absorptionem bilis lymphaticam feliciter stabilivit, et ab aliis haud parvi nominis, injectiones videri nunquam, nisi prius laesio vasorum facta fuerit, a ductu hepatico in vasa jecinoris sanguifera transire. Cum vero alterius sententiae auctores argumenta ab altera parte prolata admittere minime velint, ex omnibus sequi videtur, res factas, quae materiam in clariorem lucem evehant, adhuc deesse.

Hoc loco exemplum, licet iterum atque iterum narratum, non possum, propterea quod de vulgari ejus applicatione mens dubitat, non iterum narrare. M'Lurg certiores nos reddit, hominem, bilis redundantiam habentem, semper post vomitum Ictero laborasse. Nescio hoc phaenomenon utrum absorptioni, an regurgitationi, debeat attribui. Si enim absorptioni, interrogabitur, cur eadem res, nempe exuberantia bi-

lis,

lis, quae mihi aeque ac illi accidit, non eundem gigneret effectum, scilicet corporis flavedinem, quae eum semper me nunquam post vomitum invasit? Cur porro non aeque accidit ante vomitum? Emeticum enim in utroque casu ad ventriculum a bile liberandum exhibitum erat. Nonne nobis licet concludere, pressuram in vomitus actione cystidi felleae datam, bilis regurgitationem affeciisse? Rationi nunc datae libenter accederem, si ex illa possem explicare, cur eadem pressura mihi Icterum non dederit. Haec res igitur, ex ejus natura explicatu difficilis, posterorum investigationem flagitat.

De absorptione.—Sed absorptioni bilis per vasa lymphatica, celeberrimi Monro experimenta, magna cum cura instituta, magnopere favent.

Nemo, cadaverum inspectionis vel minime peritus, ignorat, vasa hujusmodi numerosissima ex vesica fellea oriri. Neque credendum est, Illum sapientissimum naturae auctorem, quem tota humana fabrica tam maxime laudat, hisce vasculis non ubique munus salutare homini dedisse. Et notum est, illa aquam absorbendo, ideoque bilem inspissando, quantitatem illius fluidi majorem, quam quovis temporis puncto et dato spatio vesica fellea aliter continere possit, augere; quo pacto,

si

ſi quando obſtructio minus permanens acciderit, nulla injuria ſequitur.

Anatomicus autem egregius, ſupra dictus, demonſtravit, illa vaſa aliquando bilem ipſam abſorbere. Ex ejus experimentis unum ſatis ad rem ſtabiliendam erit. Ductum canis cholidochum per ligaturam conſtrixit, et aliquot poſt dies, flaveſcentibus animalis oculis, abdomen ejus vivi aperuit, vaſaque jecinoris et veſicae felleae lymphatica, liquore bilioſo diſtenta ubique invenit. Unde abſorptionem lymphaticam inter cauſas Icteri proximas eſſe referendam liquido apparet; minime vero eam ſolam exiſtere ſequitur, aut etiam vero ſimile videtur,

EXPLICATIO SYMPTOMATUM.

Flavedo iſta, qua tota corporis ſuperficies attaminatur, a bile per rivulos ſanguinis minutiſſimos circumeunte, et ſeſe undique in texturam cellularum diffundente, certiſſime pendet. Eadem *ori* amaritudinem, *urinaeque* colorem, communicat; et, ſi unquam *objecta* oculos Ictero laborantium ſpecie flavedinis deceperint, id quoque eidem, bili nimirum oculorum humoribus

ribus commisto, attribuendum foret; ejus autem defectus procul dubio *faeces* albidas soliroque tenaciores reddit.

Sicut bilis stimulo est intestinis, et stimulus eis applicatus omnibus systematis partibus facile communicatur, hoc stimulo negato, intestina torpida evadant, et indoles eorum sese per totum corpus diffundat necesse est; inde *languor, lassitudo, lentiorque arteriarum micatio.*

Pruritus, ab irritatione, quam bilis in nervos cutaneos facit, *dolorque* in jecinoris regione a concretionis bilisve distentione, origines ducunt; qui dolor etiam, a diaphragmatis descensu auctus, respirationem plenam impedire creditur, ideoque *oppressionis* circa praecordia sensum inducere. *Vomitio* vero ab aliquo inexplicabili consensu ventriculum inter et partes laborantes pendere fertur.

PROGNOSIS.

Si morbus ortum suum a nimia bilis secretione duxerit, nisi aliud malum ei fuerit adjunctum, plerumque non diuturnus erit;

erit; si ex faecibus induratis aut spasmis, quum harum causarum repugnantia vix talis sit, qualis vinci facile non possit, neque tum diu manebit; si a concretionibus biliariis, (quod suspicari licet, quum aeger dolore acuto dextri hypochondrii eunte redeunteque affectus fuerit) tum quoniam illae vel nimis ingentes, ad iter per ductum faciendum, esse possunt, vel nimis ductus tunicis adhaerere, quo medicamentorum ope removeantur, plus dubitationis habebit morbi terminatio; quoties tamen concretiones una cum faecibus evacuantur, salutem haud longissime abesse indicatur: Si a jecinoris partisve adjacentis schirrositate, aut ductuum ossificatione, (haec autem in causa suspicari possunt, quum dolor hypochondrium dextrum diu, priusquam morbus erat conspicuus, occupavisset, vel symptomata sine intermissione in pejus ruant), tum timendum est, aegrotum brevi ad umbras esse abiturum. Nihilominus, secundum aetatem aegroti viresque, et morbos diversi generis comitantes, periculum semper erit existimandum.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Si Icterus a ſecretione bilis exuberante unquam gignitur, contentis inteſtinorum mitiſſimi laxantis ope evacuatis, diluentia tepida acrimoniam biliariam poſſunt obtundere, eique inteſtina erodendi facultatem negare. Caloris augmentum, validaque corporis exercitatio maxima cum cura vitentur, fiatque determinatio ſanguinis ad corporis ſuperficiem modo quo calor in univerſum quam minime augeatur.

Quum morbus a via bili in duodenum negata, ob aliquid ductus obſtipans premenſve, orlatur, duae ſunt curatoriae indicationes, nempe, *ductus a materia eos obſtipante liberare,— cauſamque eos prementem removere.*

1. *Ductus a materia eos obſtipante liberare.* Quando cauſa latet remota, nobis ſperare licet, morbum a leviſſima pendere.

Faeces

Faeces fortaſſe induratae interdum bilem in ductu communi ſtagnare faciunt. Quando hac a cauſa pendet morbus, nihil, niſi ut promoveatur motus inteſtinorum periſtalticus, neceſſarium videtur, quod per medicamenta purgantia affici poteſt. Haec vero remedia, ſi non ſtatim effectus ſalubres, bilem nempe dejiciendo, produxerint, ab eis erit abſtinendum, ſcilicet, quia frequens eorum uſus, quum fortiorem obſtructionem vincere nullo modo poſſint, debilitatem pernicioſam nunquam non inducant. Hac igitur de re, purgantia perraro ſemperque cautiſſime ſunt adhibenda. Vix tamen neceſſarium eſt dicere, ſtatum inteſtinorum, per totum morbi decurſum, attentionem medici aſſiduam, ſibi jure optimo vindicare. Quum enim bilis ex toto deficitur, niſi aliquid ſtimulantis vice bilis inteſtinis ſit applicatum, faeces aliquando ſuo tempore dejici non poſſunt; quapropter aloes vel alia hujuſmodi, pro re nata, praeſcribenda ſunt. Quod ſi haec votis parum reſponderint, tum e caeteris mali cauſis eam ſuſpicari licet, quae priorem quoad levitatem ſequitur, ſcilicet,

Spaſmum ductuum.—Ad quem reſolvendum, fotus regionis epigaſtricae, balnea calida, ſanguinis miſſiones, et, quod inſtar omnium eſſe videtur, opium, ſummum fructum, ſecundum plurimorum medicorum experientiam, promittunt. Proxima

conjectura, malo poſt uſum medicamentorum modo recenſitorum perſtante, bilioſas cadet in

Concretiones.—Ad has vero intra corpus ſolvendas nihil huc uſque quod adhibere poſſimus inventum. Reſtat igitur ut tranſitum earum per ductus pro virili promoveamus. Hoc, omnium conſenſu, ope emeticorum optime perficitur. Sed Cullen noſter experientiſſimus circa uſum eorum duas cautelas dedit; *primam*, ſemper mitioribus uti; *alteram*, ab uſu eorum omnino abſtinere, ſi quando collegerimus ab aegroti doloribus ſaevioribus, vel concretionem eſſe ingentem, vel minitari jamve induxiſſe inflammationem. Tum enim potius ad fotus, enemata laxantia, ſanguinis detractionem, &c. confugiendum eſt. Si omnia noſtra conamina fuerint irrita, tum peſſimum quodque timendum eſt, nihilque reſtabit niſi quovis modo nitamur,

2. *Cauſam ductus prementem removere*.—Quando *uterus gravidus* in cauſa eſt, ſola prodeſt patientia; niſi forſan aliquando laxantia, ad dejectionem faecum promovendam, vices bilis poſſint ſupplere.

Ubi

Ubi *preſſura* a glandulis induratis ſit facta, ſpes medelam afficiendi valde minuetur. Remedia tamen fortaſſe non deſunt, ad leviorem glandularum preſſuram removendam adaptata. Laudantur a noſtro celeberrimo Home varia deobſtruentia, inter quae cicuta hydrargyruſque principes creduntur; neque omnino deſperandum, quum indies plus fructus capiamus ex uſu eorum, quin futuris ſeculis remedia, ad curationem Icteri ex toto accommodata, inventa fuerint.

Quum ab *oſſificatione* ductuum pendet morbus, tum credendum eſt, incitatis paſſibus aegrotum ad illam perfectam tranquillitatem feſtinare, quae ſoli ſepulchro competit; vixque eſt, aut ne vix quidem, in arte ſalutifera noſtra per quod ejus curſus poſſit cohibere.

Propoſito confecto, omnibus Edinenſi in Academia Medicinae Profeſſoribus gaudeo hanc occaſionem mihi contigiſſe debitas agendi gratias, ob curam aſſiduam ac peritam, quam in me arte ſalutifera imbuendo adhibuerunt; quibus, in toto terrarum orbe, vix alii Praeceptores artis Medicae peritiores

hodie

hodie invenientur,——quos inter celeberrimos, Doctorum Black, Gregory, Rutherford, ob diverſi generis beneficia, ſemper grata mente recordabor.

Gratiae autem Joanni Moncrieff, Armigero, egregio Pharmacopolo Edinenſi, maximae debentur; nec non Gulielmo Nelſon, Chemico ejuſdem loci ingenioſo; quorum uterque ſua ſponte copiam mihi ſuam officinam adeundi, per biennium dedit.

Neque amicitiam Caroli Stewart, M. D. Edinburgi medicinam feliciter facientis; neque amicitiam Caroli Webſter, M. D. artem chemicam eadem in urbe feliciter docentis, unquam obliviſcar.

Omnia autem bona jubeo Andreae Fyfe, Anatomico admodum ingenioſo; ejuſque cognato, Jacobo Williamſon, juveni omnium artis ſalutiferae ſtudioſorum amicitia digno, qui, quamvis oculis captus, mente bonis literis imbuta, ſcientiaque medica bene praedita, fruitur.

Voſque, Gulielme Okely *Northamptonienſis*, Roberte Heron *Gallovidienſis*, Gulielme Tatterſall *Lancaſtrienſis*, Gulielme Nelſon

Nelſon *Edinburgenſis*, Doctor Henrice Hodgſon *Lincolnienſis*, Jacobe Miller *Perthenſis*, David Sweet ex inſula *Vectis*, ſocii cariſſimi, quibuſcum me in aeternum vitam hacce multo beatiorem victurum ſpero, valete; et credite, quod quotieſcunque audiverim, vos et homines juvando, et virtutes generi humano tam utiles colendo ac diſſeminando, vita fructuoſa ideoque venerabili frui, id mihi ſemper exquiſitae fore voluptati; propterea quod tutiſſime colligere exinde potero, vos eſſe felices moxque feliciores evaſuros.

FINIS.